

MISAE

1019

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

CHRISTOLOGIAS
SACRÆ

Disputatio Quadragesima Octava.

DE

OFFICIO CHRISTI
SACERDOTALI.

Quam

Annunte Θεωγράφω

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S.S. Theolog. D. & P.P.

In Collegio privato examinanda,
proponit

M. LAURENTIUS SCHMIDT
Brandenburgens. March.

*Habebitur 30. Aprilis horis po-
meridianis.*

In Auditorio minori.



VVITTEBERGÆ,

JOHANNES GORMAN, Excudebat

Anno MDLXXX.

CHRISTOPH

Disputatio

OFFICIO CHRISTI

SACERDOTALI

DR. BALTHASARIS F. FISCHERII

In Collegio publico examinatorum

proponit

M. PAULUS SCHMIDT

Indebetur 30. Aprilis 1701

In Altorfii



JOHANNES GÖTTMANN. Excudit

1701. MDCCLXXI.



THESIS I.



Riplex Christi Θεωρ Ἱερωπ & offici-
um, Propheticum, Sacerdotale, &
Regium cum uberiore istius primi ex-
plicatione proxime precedens disputa-
tio nobis exhibuit probatissimum. Me-

ritò itaque consideratio secundi Sacerdotalis nimi-
rum, paucis substituenda erit.

I. Constat autem isthac in positione & re-
solutione definitionis officij Θεωρ Ἱερωπ & Sacer-
dotalis. 2. In ejusdem usu, 3. denique abusu.

III. Definitio commode ita esse potest. Officium
CHRISTI Sacerdotale est, quo divinam legem
sanctissima vitæ suæ obedientia adimplevit, seipsum
hostiam sanctam, perfectam, & æternam semel pro o-
mnibus omnium hominum peccatis expiandis DEO Pa-
tri in ara crucis sponte obtulit, parta beneficia cre-
dentibus per fidem & Sacramenta applicat, pro iisdem
apud Patrem suum cælestem indefinenter intercedens.

IV. In qua definitione considerationem mere-
tur. I. CHRISTUS ut Sacerdos seu Pontifex.
2. Officium ipsum Sacerdotale, quod respicit
1. Satisfactionem. 2. Intercessionem. Satisfactio
comprehendit divinæ legis impletionem, tum
sanguinis profusionem, ipsam mortem. 3. cau-
sa istius oblationis.

V. Primum quod attinet, dicitur ipse CHRI-
STUS Sacerdos Pontifex, magnus Hebr. 4, v. 14. Me-
diator Novi Testamenti Hebr. 9, v. 15. c. 12. 24. Quo
ipso

ipso finis & complementum Sacerdotij Vet. Test. coram ostenditur. In V. T. ratione successionis licet non ratione presentis functionis, plurimi fuerunt Magni Pontifices seu Sacerdotes. In Novo autem solus CHRISTVS, qui vel secum, vel post se neminem esse concedit, imò nec quis esse potest. Quare Unus Mediator DEI & hominum pradicatur 1. Tim. 2. v. 5.

VI. Sacerdotalis Magni in V. T. officium erat Legem custodire: Sacrificia offerre: Intercedere, Ita & noster Pontifex CHRISTUS legem implere debuit. Satisfactionem siquidem ratione legis implendæ necessarium effecit pronunciatum illud terrisonum Deut. 27. v. 26. Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Gal. 3. v. 10.

VII. Primi nostri Parentes inobedientiâ sui generis enormiter & eminenter tali primum maledictum in se derivando legem post quoque à Domino sancitam servandi impotentes unâ cum posteris facti sunt. Quia vero CHRISTUS Mediatorem ac Satisfactorem se constituerat, non poterat non satisfacere volûtati divinæ Patris servando istam sancitam legem, quò & ab isthujus maledictione liberati DEUM benignum experiemur. Quare scribit Apost. Paulus Gal. 4. v. 4. 5. Emisit DEUS filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui legi erant obnoxij, redimeret. Vid. Rom. 8. v. 15. Gal. 3. v. 13. CHRISTUS nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Sic CHRISTVS ipse inquit Matth. 5. v. 17. Non veni solvere legem, sed adimplere.

IIX. Per-

II X. Perfecta observatio legis nobis impotenti-
bus incumbere Deut. 6. v. 5. Matth. 22. v. 37. 39. Igi-
tur & perfectissime CHRISTUS intercessor eam
servando implevit. Alias sancti in multis legem serva-
re possunt, sed tamen non perfecte, partim ratione a-
ctus, partim ratione totius. Idcirco licet aliquis in uno
saltem delinquat, reus interim manet totius. Iac. 2. v.
10. CHRISTUS totius sanctissimæ vitæ curriculo
non in tantum, sed in totum exactè servando sa-
tisfecit. Id quod ipsi Pharisei, hypocritæ, à CHRISTO
de peccati argutione quæsi, nolentes volentes tacite
non diffiteri habebant Ioh. 8. v. 46. Quapropter dicitur
finis seu perfectio legis Rom. 10. v. 4.

IX. Satisfactionem ratione mortis sube-
undæ necessariam effecit transgressio legis, delin-
quenti mortem asperam indicentis Gen. 2. v. 16 17. Iam
quidem omnes homines moriuntur, verum eo ipso nec
quilibet sibi ipsi vitam eternam reacquirere valet, mul-
to minus fratri suo. Psal. 49. v. 8. minime omnium toti
generi humano. Immo, quia id fit poenæ loco, meritori-
um aut satisfactorium esse nequit. Insuper non tantum
poena mortis temporalis, sed maxime eterna intinaba-
tur. Igitur ut eternum isthanc subiremus, ἀντιλυ-
τῶν requirebatur. Archangelus creatus, ut Ens fini-
tum à DEO creatum, id præstare non poterat. Siqui-
dem DEVS, ens infinitum, lesus erat, precium igitur
æquivalens persolvere non erat potens. Filius proinde
DEI λόγος & σὰρξ ἐγένετο Iohan. 1. v. 14. σὰρξ
& αἷμα & μετῴχε Hebr. 2. v. 14. ut per mortem abo-
leret eum, qui mortis habebat imperium, h. e. Diabolū.

X. Quia itaque CHRISTUS Θεὸς ἰσὺς
πρὸς Θεὸν Mediator est, precium æquivalens persolvere
potuit. Mortem quia non nudus homo sustinuit, qui
id prestare non valebat, neque nudus DEUS, qui pati
moriq; non poterat, passio seu mors interim erat ne-
cessaria, quippe absque sanguinis effusione non fit re-
missio peccatorum Heb. 9. v. 22. Iccirco Θεὸς ἰσὺς πρὸς Θεὸν
id prestitit. Hinc sanguis Filij DEI nos mundare dicitur
ab omni peccato. 1. Iohan. 1. v. 8. Hebr. 9. v. 14.
Coloss. 1. v. 14. 1. Pet. 1. v. 19. Apoc. 1. v. 5. Est autem
æquivalens ratio expiandi infiniti DEI offensionem in
CHRISTI morte, quia ipse DEUS revera in car-
ne passus est. 1. Pet. 3. v. 18. Act. 3. v. 15. 1. Cor. 2. v.
8. Hinc dicitur DEUS sibi reconciliasse mundum
2. Cor. 5. v. 19. Suo sanguine sibi acquisivisse Ecclesi-
am Act. 20. v. 28. Deinde licet CHRISTUS ratione
durationis actus, qui pauci temporis fuit, æternam
mortem non subijt, quod impossibile erat, Act. 2. v. 24.
Ps. 16. v. 8. ratione tamen vigoris & intensiois æ-
ternæ morti CHRISTI mors æquiparari potest.

XI. Obtulit igitur CHRISTUS hostiam seu
victimam non offerendo arietem, aut hircum, aut vi-
tulum aut taurum: Sed Seipsum, Hebr. 9. v. 12.
Iccirco dicitur Pascha nostrum 1. Corinth. 5. v. 7. Ob-
tulit autem sese in ara crucis, & quidem semel. Hebr.
9. v. 14. Pontifex V. T. non per proprium sanguinem,
sed per sanguinem hircorum ac vitulorum in sanctum
sanctorum ingrediebatur, & quidem quotannis rei-
terata vice unica. CHRISTVS a. Pontifex Magn. Hebr.
5. v. 10. Hebr. 10. v. 21. Mediator N. Test. Hebr. 9. v. 15.

c. 12. v. 24. v. 24. Seipsum Hebr. 7. v. 27. c. 9. v. 14.
Eph. 5. v. 2. 1. Tim. 2. v. 6. obtulit per proprium san-
guinem ingressus est in sancta, & quidem Semel, quia
homini semel mori statutum erat. Hebr. 9. v. 27.

XII. Sequitur 3. causa. Pontifex V. Test. san-
guinem non pro prium, sed alienum, hircorum ac vitu-
lorum pro seipso & pro populi ignorantibus offerebat,
quia & ipse erat in peccatis conceptus & natus. Levit.
9. v. 7, c. 16. v. 11. 17. Hebr. 7. v. 27. v. 28. CHRI-
STVS, Pontifex & Mediator N. T. Hebr. 9. v. 15. non
per alienum, sed proprium sanguinem, non pro se, quia
non nudus homo, nec homo in peccatis conceptus & na-
tus, sed Sanctus Luc. 1. v. 35. Sanctissimus Dan. 9. v.
24. Ipsa justitia Jerem. 23. v. 8. 1. Cor. 1. v. 30. pius, in-
nocens, impollutus, segregatus a peccatoribus Hebr. 7.
v. 26. unde existit hostia sancta. Sed pro omni-
um hominum, pro totius mundi, peccatis ex-
piandis 1. Iohan. 2. v. 2. Hinc vocatur agnus DEI,
tollens peccata mundi Iohan. 1. v. 29. Unde existit
hostia perfecta, ἁγία καὶ ἀσπίαν λύτρωσιν
Hebr. 9. v. 12. Unde est hostia æterna. Quamobrem
vocatur Sacerdos in æternum, Psalm. 110. v. 4. Heb. 5.
v. 6. c. 7. v. 17.

XIII. Fructus exinde resultat. 1. Liberatio à
maledictione legis. 2. Reconciliatio nostri cum DEO.
3. Liberatio à morte & potestate Satane. 4. Emun-
datio à peccatis. 5. Acquisitio vite & justitie.

XIV. Non minus autem de tali officio
CHRISTI sacerdotali est isthæc beneficia ap-
plicare. Id quod & sufficienter præstat, dum mit-

tit Spiritum S. Iohan. 20. v. 22. Iohan. 15. v. 26. qui est
autor fidei, quâ CHRISTI meritum & salutaria
beneficia applicantur, obsignantur, confirmantur, per
verbum & Sacramenta, quæ sunt media, quibus Spi-
ritus S. vult esse efficax. Nam fides est ex auditu verbi
divini Rom. 10. v. 17. Sic & Sacramenta sunt ratione
utentium vel conferentia fidem, ut Baptismus legiti-
mè administratus infantibus, vel confirmantia, ut Ba-
ptismus & Cœna Domini in legitime digneq; usurpan-
tibus adultis. De quibus alibi plurimis dicendum
est.

XV. Sequitur tandem intercessio, quâ CHRIS-
TUS Sacerdos pro nobis interpellat apud Patrem per
meritum & satisfactionem suam. Ut Sacerdos sa-
crificans in V. T. pro se & populo intercedere iussus e-
rat. Sic & Pontifex noster Magnus, Mediator N-
T. CHRISTUS pro nobis apud Patrem sponte & be-
nignè intercedit. Intercessio aliàs CHRISTE
pro hominibus duplex specificatur in Scriptura 1. Ge-
neralis, quo pacto pro omnibus, etiam pro impijs &
transgressoribus, juxta dicta Esa. 53. v. 12. Luc. 23. v. 34.
oravit. 2. Specialis, quâ tantum pro obedientibus,
docilibus, & pijs orat Iohan. c. 17. v. 11. Qualis inter-
cessio hoc loco potissimum attenditur. Potest aliàs
subspecificatos actus aliquos comprehendere, vel inter-
cessionem pro illuminatione spirituali, pro ejus au-
gmento, pro obsignatione & confirmatione, pro non
imputatione indebiti commissi vel quadantenus ma-
joris, vel minoris &c. Quapropter vocatur Advocat-
us noster Rom. 8. v. 34. 1. Iohan. 2. v. 1. 2.

XVI. Usus

XVI. Usum ulterius secundo quod spectat, consistere potest, 1. In debitâ gratitudine DEI Patris, ejusque Filij unigeniti, CHRISTI agnoscendo misericordiam, benignitatem, charitatemque, Quod HIC nostriloco λύτρον esse ipsemet & solvere, ILLE lubentissimè acceptando sufficientissimum agnoscere voluit. 2. In serio detestando & non committendo peccata, quibus λύτρον repudiatur. 3. In usurpando contra cujuscunque generis tentationem & insultus, vel hostis nostri communis Diaboli, mortis & peccati. Contra negationem de veritate redemptionis: contra diffidentiam de sufficientia: Contra dubitationem de universalitate & singularitate.

XVII. Abusum denique tertio subjungere lubet, qui competit:

I. Photinianis, CHRISTUM reverâ pro peccatis nostris expiandis se victimam sanctam in ara crucis obtulisse Patri negantibus, nec non profitentibus, CHRISTUM sua morte credentibus nobis tantum exemplum reliquisse, etiam morte, necessitate ita requirente, doctrinam fidei contestari convenire ac debere. Contra expressa Scripturæ dicta. Rom. 4. v. 25. Rom. 5. v. 8. 9. 1 Pet. 2. v. 21. 24. 2. Corinth. 15. v. 3. Rom. 5. v. 6. cap. 4. v. ult. 1. Iohan. 2. v. 2. cap. 4. v. 10. Esa. 53. v. 3. 4. 5. 6. 2. Corinth. 5. v. 21. Gal. 3. v. 13. &c.

2. Pontificijs, 1. negantibus CHRISTVM esse
 Mediatorem secundum utramque naturam. Vide Bel-
 larminum lib. 4. de CHRISTO cap. 1. contra asser-
 tionem supra probatam, & Ecclesie regulam. No-
 mina officij competunt CHRISTO secun-
 dum utramque naturam. 2. Suis flagellationibus,
 missis, bonis operibus CHRISTI meritum insufficiens
 reddentibus contra dict. Esa. 63. v. 3. Apocal. 19. v. 15.
 1. Iohan. 1. v. 8. 3. Contendentibus CHRISTVM
 sibi aliquid ista passionis & morte promeruisse. Vid.
 Bellarmin. lib. 5. de CHRISTO Mediatore cap. 9.
 contra Scripturam, λόγον propter nos incarnatum
 esse, Esa. 9. v. 6. asserentem, contra clarum Esa. 53.
 cap. in quo v. 5. Causa & fructus passionis & mortis
 CHRISTI unice nobis ascribitur. Dictum Phil.
 2. v. 9. quod attinet. R. Par. Comment. in Epist.
 ad Rom. cap. 8. dub. 9. Edit. Francof. 1608. col. 794.
 lit. A. Apostolus non causam meritoriam glorie, sed or-
 dinem & viam ad gloriam docet. 4. Sacrificio Missæ
 CHRISTVM quotidie offerentibus, licet incruente
 contra Scripturam, præsertim cum N. T. præfigura-
 tionem talem & alias non patiatur. 5. Sanctos Pa-
 tres, & imprimis S. Mariam, intercessores invocan-
 tibus contra dict. Esa. 63. v. 15. Deut. 6. v. 13. Matth.
 4. v. 11. Apoc. 19. v. 10. 1. Tim. 2. v. 5. 1. Iohan. 2. v. 2.

3. Calvinianis, quorum quidam aperte faten-
 tur CHRISTVM tantum pro electis, non insi-
 mul pro damnatis, ne quidem quoad volunta-
 tem aut consilium DEI mortuum esse. Ut lege-
 re est apud Bezam, in Colloq. Mompelg. Edit. Tubing.

1594.

1594. pag. 514. inquit. in *Anthithes.* Certè nobis intolerabilis vox vestra visa est, CHRISTUM esse mortuum pro damnatis. Item in *Resp. ad acta Colloq. part 2. p. 221.* Iterum dico, & coram tota Ecclesia DEI profiteor, falsum, blasphemum, impium esse dicere, CHRISTUM sive quoad effectum Non minus pro damnandorum, & æterno iudicio adjudicandorum peccatis passum, crucifixum, mortuum esse, & satisfacisse, quam pro peccatis Petri, Pauli & omnium Sanctorum.

Quidam linguam aliter informando nobiscum quasi consentientes dicunt, CHRISTUM pro omnibus esse mortuum, scilicet quoad sufficientiam, sed non quoad efficaciam. Quam distinctionem usurpârunt Scholastici. (vide *Rev. & Clar. Dn. Præs. disp. 13. q. 1. S. Anthrop.*) per meriti sufficientiam ipsam redemptionis actum & salutis acquisitionem: Per efficientiam verò applicationem meriti & collationem salutis acquirentes, ut sensus sit: CHRISTUM quidem homines universos & singulos actu ipso juxta consilium DEI Patris redemisse & vitam reparasse. Quia verò plerique in impenitentia perseverant, hinc fieri, ut efficaciam meriti non omnes presentiscant & salventur, sed tantum electi. Sic ergo causam inefficacie referunt in hominum incredulitatem, non in absolutum quoddam DEI decretum aut beneplacitum. Calviniani autem per sufficientiam meriti non ipsum redemptionis actum, sed potentiam tantum notatam volunt: Scribentes, CHRISTUM quidem potuisse satisfacere pro peccatis totius mundi, sed

sed non satisfacisse ipso actu, quia DEO Patri ab eterno ita placuerit.

Quam explicationem aperte ponit Beza in Colloquio Mompelg. Edit. Tubing. 1594. p. 548. in fin. in-
quiens: Fateor mortem CHRISTI potuisse suf-
ficere pro peccatis etiam damnatorum, si DEUS vo-
luisse illis prodesse.

Cui suffragium dat Bucan. Loc. 23. q. 20. Edit.
Gen. 1617. p. 226. Item Loc. 36. q. 23. p. 396. Si vim
sanguinis CHRISTI respicias, ad redemptionem o-
mnium sufficit: Si vero propositum, consilium-
que DEI æternum, voluntatemque Mediatoris
intuearis, pro solis electis mortuus est. Item Kecker.
lib. 3. system. Theol. c. 4. can. 1. qui ita est. Ut officium
Propheticum, ita etiam Sacerdotale pertinet ad
solos electos. Nam pro horum peccatis tantum CHRISTUS
satisfacere voluit.

Mutant itaque itaque isthi inter suffici-
entiam & efficientiam distinguentes non mentem,
sed dentem, non animum, sed calamus, cum re-
liquis aperte fatentibus in fundamento & sensu con-
venientes.

Pareus videtur à sociis discessum facere quoad hoc
quesitum, dum in explicat. Catech. Ursin. Edit. Hei-
delb. 1612. q. 20. num. 3. p. 258. ita inquit. Est mortuus
us (CHRISTUS) pro omnibus, merito & suf-
ficientia λύτης, pro solis credentibus applica-
tione & efficacia. Item Comment, in Epist. ad Hebr.
c. 9. v. 28. Edit. Heidelberg. 1613. col. 466. lit. D. π ο λ λ ο ν
multorum, An non omnium. Dicitur mortuus pro o-
mnibus

omnibus: dedisse se pro omnibus. Effectum spectat oblationis CHRISTI, qui licet omnibus propositus sit, non omnibus tamen obtingit, quia multi infidelitate sua oblationem CHRISTI respiciunt, sibiq; irritam reddunt. Hinc fit (subnectitur statim) ut non omnium, sed multorum, hoc est, tantum credentium peccata CHRISTI oblatione tollantur: Eo sensu etiam dicitur Rom. 5. v. 19. CHRISTI obedientia justificari multos. Quod si ex animo loquatur Parens, intendens explicationem circa distinctionem Scholastic. ante positam: vel coram repudiat decretum absolutum damnatorum, vel sibi non constat?

Scriptura interim CHRISTUM pro omnibus omnium hominum peccatis mortuum esse abunde comprobat. Vtpote ut saltem pauca attingamus Esa. 53. v. 6. Ex quo ita colligimus. Quicumque ut oves errarunt illorum iniquitates Ἰσάβθωπ , filius DEI, CHRISTUS sibi à Patre impositas portavit: Atqui non solum electi, sed etiam damnati, & ita omnes homines ut oves errarunt. Ergo non solum electorum, sed etiam damnatorum, & ita omnium hominum iniquitates CHRISTUS à Patre sibi impositas portavit. Quod Calvin. Prophetam de suis tantum auditoribus loqui dicunt, non potest texus evidentia ferre. Deinde si maxime concederetur, non tamen statim sequeretur, omnes & singulos renatos, imò potius electos, fuisse.

2. Ex

2. Ex Rom. 5. v. 18. 19. Quo usque se extendit conde-
mnatio, eo usque se extendit justificatio vitæ. Atqui
condemnatio se extendit ad omnes, qui non sunt electi,
homines. E. & justificatio vitæ. Majoris conseq. con-
stat in ipso v. 18. tum plana est ex collatione v. 18, cum
19. imo toto cap. 3. Ex Matth. 18. v. 11. Luc. 19. v. 10.
Quodcumque perierat, ad illud servandum CHRISTUS
venit. Atqui non tantum electi, sed omnes homines
perierant. E. ad omnes homines servandos Christus
venit. 4. Ex 1. Iohan. 2 v. 2. Quicumque pro toti-
us mundi peccatis propitiatio est, ille non aliquos
tantum, ut electos, sed omnes homines sua morte re-
demit. Atqui CHRISTUS pro totius mundi pec-
catis propitiatio est. E. non aliquos electos, sed omnes
homines sua morte redemit. Not. in hoc dict.
1. distributio. 2. expressio totius mundi. Nuspi-
am in s. vocabulum mundus solos electos de-
notat, multo minus totus mundus. Vid. 2. Co-
rinth. 5. v. 14. 15. Coloss. 1. v. 20. 1. Tim. 2. v. 6. 6. 4. v.
10. Tit. 2. v. 10. In specie Satisfactio CHRISTI
pro damnatis probatur. 1. Ex Hebr. 6. v. 4. 5. &
6. ubi nonnulli, qui damnantur, aliquando illumi-
nati & participes Spiritus S. predicantur, quod fieri
non potuisset, si CHRISTUS pro ijs non esset mortu-
us. Nam applicatio & collatio semper præsupponit
æquisitionem. Peculiarem etiam observationem me-
retur vocabuli recrucifigunt. Quomodo recrucifi-
gere possent Christum, si crucifixio hujus nihil eos at-
tinuisset. 2. Ex cap. 10. v. 26. 27. & c. ita colligi-
mus. Peccatores in Spiritum S. conculcant Filium
DEI


DEI & sanguinem foederis, per quem fuerunt sancti-
ficati. Peccatores in Spiritum S. damnantur. Ergo
quidam, qui damnantur, sanguine foederis fuerunt
sanctificati. Et sanè nisi Calviniani concesserint pro
scelestissimis peccatoribus esse mortuum, Peccatum in Spiritum S. penitus negare
necesse habent. Vide Rev. & Clariss. Dn. Praef. disp.
13. quest. 1. S. Antrop. de dicto 2. Petr. 2. v. 1. 3. Ioh.
15. v. 1. & 2. inquit CHRISTUS Ego sum vitis ve-
ra, & Pater meus agricola, omnem palmitem in ME
non ferentem fructum, tollet eum. Quo dicto lucu-
lenter innuitur, posse aliquos damnari, qui fuerunt
veri & genuini palmites, qui CHRISTO insiti. Quod
inferunt de Pharaone & aliis ante CHRISTI pas-
sionem actu damnatis, illis mortem & satisfactionem
CHRISTI non prodesse. Resp. Licet eatenus, qua-
tenus jam ipsi damnationi subjecti sunt, eis prodesse ne-
queat, siquidem ex inferno nulla redemptio, interim
in vita tempus gratiae, quo in CHRISTUM credere
potuissent, negligere non debuissent. Proinde si
CHRISTUS pro ijs mori nolisset, tum suo tem-
pore credere, atq; sic propter incredulitatem damna-
ri non potuissent, sed excusabiles forent. Nam sen-
tentia judicialis sic habet: Qui non credit, judica-
tus est, Iohan. 3. v. 18. Sic aliàs sequeretur nec Abra-
hamum & alios salvatos ante CHRISTI satisfacti-
onem propter CHRISTI meritum salvari, cum ta-
men CHRISTUS unicum fundamentum salutis
sit 1. Cor. 3. v. 11. Actor. 4. v. 12. Cap. 15. v. 11, Rom. 4.
v. 9. 17. & c.

Sepositis

Sepositis nonnullis scrupulosis, minusq³ frugiferis quaestionibus hab de materia motis, isthoc Epiphonemate concludere placet.

CHRISTE JESU, qui nostri loco & gratia te ipsum, hostiam & victimam Sanctissimam, perfectissimam & eternam in ara crucis DEO Patri offerre ex immensa misericordia & benignitate ultro voluisti, effice, quaesumus, perbenigne, quo & nos pro ineffabili isthac gratia tibi vicissim nostras hostias, laudes scilicet & gratiarum actiones in sanctitate & iustitia, quam per Spiritus tui Sancti gratiam nobis a natura penitus impotentibus clementissime concedes, indefinenter immolemus, ne sanguinem tuum pro peccatis nostris expiandis effusum nostris peccatis conculcando ingrati reperti ex intercessore, accusatorem, ex Mediatore iudicem te experiamur, qui cum Patre & Spiritu S. vivis & regnas in seculorum secula,
AMEN.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
| | | | | | | | | |

OGIAS
esima Octava.
CHRISTI
TALI.
θεανθρωπω
DIO
MEISNERI
& P.P.
aminandam.
SCHMIDT
March.
is boris po-
minori.
GÆ,
N, Excudebat
xxx.

